Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1079
Quelle:
Copyright:

minio adjectum: *Expliciunt Omelie per quadragesimam per manus Michabelis de Ardinga.*

II. *fol.* 81. p. 2. succedunt *Gregorii M. Homiliae* XL. in *Partes* II. tributae, prout extant edit. *Maur.* T. I. *col.* 1435. Quamvis Exemplum istud mendis non careat, e praevia tamen ad *Secundinum Epistola* notare duo libet *Mauristis*, ut videtur, non observata. Legit nempe Nostrum: *sed tandem dubietatem postmodum certa annunciacione correxi*, ubi illi: *sed eamdem dubitationem postmodum certa notatione* (in not. *enodatione*) *correxi*; dein Nostrum: *quae sub ecclesiis dictae*, ubi illi: *quæ sub oculis dictæ*. Epistolae huic Librarius noster continenter adjunxit mutilum aliquod Epitaphium, utique non Sancti Praesulis, cujus postremus versus sit:

Delicias mundi casso sectabar amore —

Homiliae praemisso utrique *Parti* Elencho rite procedunt.

III. *fol.* 189. accedit Hexas *Homiliarum*. Videlicet in *Dom.* I. II. III. X. XIX. et XX. *post Pentecosten*, quarum haec initia: *Scriptura sacra diuinitus* &c. *Omnipotens deus in exordio* &c. *Sicut unius peccatoris* &c. *In huius lectionis serie* &c. *Cum frequenter regnum celorum* &c. *Aliquotiens contingere solet* &c. Homileten mihi ignotum *Gregorio* M. et *Beda* usum esse video. Ita v. g. *Hom.* III. legas: *Sicut vera iusticia compassionem habet, sic falsa dedignationem*, quae sunt *Gregorii Hom.* XXXIV. Item *Hom.* I. *Bissus autem genus est quoddam lini candidissimi et suauissimi decoris, et greci* papagen *vocant*; ubi *Beda Hom. Dom. I. post Trinit.* habet: *Byssum vero genus est quoddam lini nimium candidi et nobilissimi, quod Hebraei* παπατην *vocant*. Pejus hic *Bedae* Exemplum nostro; Hebraeis enim *Byssus* בוץ est. Quid vero etiam Graecum παπατη, aut παγη? Nisi recurras ad corruptionem vocis παππος, quae florum lanuginem notat, aut ad *Glossas Jatricas mss.* apud *Ducangium*, quibus παταγος *lepus* est, unde πατάγην mollissimam Pilorum leporinorum lanuginem divines.

CCCCLI.

Codex chartaceus lat. germ. in confinio Sec. XIV. et XV. Folior. 114. f. scriptus per duas columnas non una manu, et rubricis distinctus, quondamque *Joh. Fabri* Antistitis nostri Varia complectitur hoc ordine compilata: I. Trigam illam *Epistolarum Eusebii* ad *Damasum*, *Augustini* ad *Cyrillum*, et *Cyrilli* ad *Augustinum*, Viris his subpositam, sub Typographiae primordia saepius excusam, a me jam saepius memoratam puta *Vol.* I. *col.* 823. 1552. 2682. et *Opp. Hier.* edit. *Vallars.* T. XI. *col.* 288. prostantem. U. 283

II. *fol.* 25. p. 2. Elenchus Medicaminum sequitur lingua germanica